

**www.e-rara.ch**

**Dignorum laude virorum, quos musa vetat mori, immortalitas, seu vitae theologorum, jure-consultorum, et politicorum, medicorum atque philosophorum, maximam partem Germanorum, nonnullam quoque ...**

**Adam, Melchior**

**Francofurti ad Moenum, 1705**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 862

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-11759>

[Dedicatio.]

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



*Illustrissimis & Celsissimis Principibus*

*Ac Dominis,*

DOMINO  
JOANNI CHRISTIANO,

Duci Silesiæ Lignicensi & Bregensi,

*NEC NON*

SUMMO UTRIUSQUE SILESIAE  
PRÆSIDI:

DOMINO  
GEORGIO RODOLPHO,

Duci Silesiæ Lignicensi ac Bregensi:

*FF. GERMANIS,*

*Dominis meis Clementissimis.*

VITAM

*ET*

FELICITATEM.



Uemadmodum historia universalis;  
tam ecclesiastica quàm politica, summam adfert uti-  
litate, cum voluptate & jucunditate conjunctam  
eximia: ita & ejus, quæ ad singulas descendit perso-  
nas, antiquitas est ultima, fructus egregii, ac delecta-  
tio singularis. Vetustatem eius sacrarum loquuntur  
literarum monumenta *ἀυτόπινα*, Veteris in primis In-  
strumen-

## EPISTOLA

strumenti. In eo enim libri historici, tum pentateuchus Mosis, tum aliorum; qui populi Israëliti res gestas sub sacerdotibus, iudicibus, regibus & principibus complectuntur, aliud ferè nihil condunt, quàm annales & vitarum descriptiones. Recitantur enim inibi Patriarcharum, Regum, Prophetarum, & aliorum sanctitate illustrium hominum natales, parentes, educatio, facinora, tam bona quàm mala, tandemque obitus, & anni diesve e-mortuales. Ad Novum autem si abeamus; reperimus in historia Evangelica, & in Actis, ut liber inscribitur, Apostolicis, mandatam literis vitam ipsius JESU CHRISTI, unici Salvatoris mundi, tum sanctorum Evangelistarum & Apostolorum. Ac rem sic habere, testantur tam veterum quam recentium auctorum labores: qui ex ipsis sacris Bibliis historias ac vitas divinorum hominum virorumque DEI, Græcè Latineque contexuerunt. Horum in numero laudandus venit *Dorotheus*, episcopus Tyri & martyr: qui Prophetarum majorum & minorum, duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum vitas synopticè est complexus: hisce annumerandus est *Isidorus*, episcopus Hispalensis: qui de vita & obitu sanctorum utriusque Testamenti scripsit: his accensendus *Gennadius* presbyter, *Epi-phanus*, *Philo*, *Prochorus*, & alii complures, ut recentiores jam omittamus. Fuisse autem & gentilibus extra Ecclesiam curæ historiam eiusmodi personalem: non est, cur verbosius demonstremus. Quis enim *Plutarchum Charoneum*, Traiano Imperatori summè æstimatum polyhistora, non audivit; eiusque τὸ κάλλιστον τῶν συγγραμμάτων, τὰς καλεσμένους παραλλήλας βίβας, τῶν ἀρίστων κ' ἔργα καὶ πράξεις ἀνδρῶν, h. e. monumentorum pulcherrimum opus, *Vitas*, ut vocat, *parallelas*, quibus præstantium virorum res gestas & opera comparavit? quis *Diogenem Laertium* vitarum Philosophorum clarorum scriptorem ignorat? quis *Hesychii Milesii*, *Illustrii* cognomento, de eodem argumento librum? quis *Eunapii Sardiani*, quis *Philostrati Lemnii*? Quid dicam de Latinis tum historiæ Augustæ, ut appellamus, tum aliarum vitarum conditoribus? quorum lectio hodierna etiam tempestate & fructuosa & jucunda ducitur: idque non sine causa. Debetur enim hoc virtuti eorum: quorum, dum in terris vixerunt, prudentiâ res maximæ fuerunt gubernatæ & gestæ: & quibus reipub, ac posteritatem omnem sibi obstrinxerunt. Est autem honos hic virtutis præmium ac fructus unicus: nec virtus ipsa quicquam, præter laudis & gloriæ mercedem, amplius desiderat. Hinc *Alexander* ille *Magnus* fortunatum prædicavit Achillem, in *Sigæo* monumento eius adsistens, qui virtutis præconem Homerum invenisset: & *Alexander Severus* Imperator vel idè impensè amavit fovitque viros literatos: ut essent, qui, quæ gessisset, in literas mitterent. Hinc apud Spartanos ante pugnam rex Musis sacrificabat: ut res gestæ ornatam historiam consequerentur: & ab illo illo ipso magno *Alexandro Callisthenes* philosophus in castra accitus fuit, ad acta eius memoriæ prodenda. Excitantur præterea commemoratione huiusmodi, & inflammantur animi hominum non degenerum, ad virtutis cultum: & ad nominis decus præsan-dum expetendumque. Vis enim exemplorum in utramque partem est maxima: & vita omnis magis exemplis, quàm rationum monumentis ducitur.

## DEDICATORIA.

tur. *Matthiam* equidem *Corvinum*, fulmen illud Asiatici hostis, adolescentulum adhuc accepimus, auditis aliorum fortibus & præclaris facinoribus, adeò accensum fuisse, ut exultim tripudians, quasi de animi potestate exierit, manuum pedumque applausu virtutis stimulos testatus. Nihil hic dicimus, quòd ex historiarum singularium lectione multa peti possunt, quæ faciunt ad formandum iudicium, multa, quæ ad vitam regendam & constituendam: multa, quæ ad consilia rectè ineunda, aut aliis danda. Vidit hoc ille idem *Severus* Imperator, qui in consilium solitus adhibere maximè eos, historiam qui nosset, vidit & *Cyrus Xenophontius*, qui jam morti vicinus liberos monuit, ex antè actis exemplis petendam esse saluberrimam atque optimam doctrinam, vidit idem hoc ille, qui *ἰσοεῖαν δεχὴν φρονήσεως τε καὶ σοφίας*, principium prudentiæ sapientiæque historiam perhibuit. Et suavissimi sunt versus optimi poetæ in panegyrico:

*Interea Musis animus dum mollior instat:*

*Et quæ mox imitere legas: nec desinat unquam*

*Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.*

*Antiquos evolve duces: adsuesce futurae*

*Militia: Latium retrò te confer in ævum.*

His aliisque causis, Principes Illustrissimi, Domini clementissimi, ad ductus & ego, cepi ab annis aliquot virorum in Germania nostra natorum, quosque tum erudita doctrina, tum egregia vel in Ecclesiam DEI, vel in Rempubl. Christianam merita commendarent, sparsim colligere, & in unum quasi corpus coagmentare. Debere me hoc existimavi communi patriæ, virtuti variis speciminibus probatæ, religioni orthodoxæ, ipsorum operâ ad nos, DEI imprimis beneficio propagatæ, & ad posteros etiam propagandæ. Nam Germano non immeritò, opinor, turpe duxerim; nosse, animoque complecti, quid vel Italus aliquis, vel Gallus, vel alius transmarinus, in sua quisque patria, & suo vitæ doctrinæque genere præstiterit, de popularibus verò, & in media Germania natis viris, præclaræque de Ecclesia vel Republ. meritis, parum admodum aut nihil scire, sæpe etiam ne nomen quidem, aut natum esse, inaudiisse. Quod quid est aliud, quam ἐν τοῖς οἰκείοις αἰεὶ παῖδας, in domesticis suisque perpetuo puerum esse? quemadmodum *Plato*, & cum *Platone Cicero*, pueros vocant, historiæ & ante nostram ætatem gestorum ignaros. Suggestent autem narrationes istæ & descriptiones vitarum, præter exempla illustria, religionis in Germania superiori seculo reformatæ historiam, ejus ἀφορμὴν, prædictiones, progressum, eventus & exitus synodorum, colloquiorum, ac consiliorum, adeò ut confirmare ausim, nullius ferè Theologi vitam hoc in volumine apparere, in qua non & aliquid appareat singulare. Ostendent insuper ærumnas Ecclesiæ, & testimonia præsentis divinæ in liberationibus, & exhibebant exempla multorum certaminum ac controversiarum in

doctrina, comprobabuntque illud Apostoli: *oportet haereses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* Sub V. V. autem Cel-  
 situd. Illustrissimi Principes, Domini clementissimi, augusto nomine,  
 Germanis has Theologorum nostratium vitas unum in volumen conjun-  
 ctas, commendare ac consecrare volui & debui cum aliis, tum his potis-  
 simum de causis. Principio, placuit Domino DEO meo; ut primum  
 hujus coeli spiritum in Silesia vestra hauritem, peregrinationem atque  
 exilium meum in agro Grotgovienſi ordire, magistros & animi paren-  
 tes in VV. CC. illustri Gymnasio, quod etiamnum Bregæ floret, inve-  
 nirem, & fundamenta prima verorum bonorum jacerem. Patriæ ita-  
 que charissimæ, ac nutrici beneficentissimæ, pagellis istis, cum luculen-  
 tius non suppetat, *divulgetur* qualia qualia redditum eo, cum votis ar-  
 dentissimis ac quotidianis, ad Patrem Domini nostri JESU Christi; flo-  
 reat illa! floreant ejus principes & coronæ! floreant ecclesiæ & scholæ,  
 quàm felicissimè, quàm diutissimè! Movit me secundo loco vestra, prin-  
 cipes inclyti, pietas, & sinceræ religionis adserendæ ac provehendæ stu-  
 dium, quod ut divinitus omnibus principibus regibusq; est mandatum, ita  
 VV. CC. à parentibus, ab avis, proavisque ingeneratum ac proprium.  
 Qui ergo veritatis Evangelicæ defensores ac vindices estis, ejusdem do-  
 ctorum vitas, resque stylo & voce in Ecclesia militante gestas, non sine  
 voluptate, spero, cognoscetis. Nec dicam hic de cupiditate vestra le-  
 gendi historias, communi VV. CC. cum summis principibus, regibus,  
 & Imperatoribus, nec de amore ac prolixo affectu erga bonas literas &  
 literarum propagatores, quem V. V. CC. egregiè declarant, in gemino  
 conservando Gymnasio, alterò Bregæ, Goldbergæ altero, utroque non ab  
 unâ annorum decade jam celebri ac latè incolis accolisque frequentato.  
 Hoc verè dicam, regia res est, Illustrissimi Principes, literas tueri, quibus  
 extinctis miserabili caligine cuncta confunderentur; hominesque à bru-  
 tis nihil differemus. Ex Apollinis enim non Delphici, sed Germani, tri-  
 pode gravissimum hoc prodiit, oraculum, *in scholis non solum ecclesiæ  
 seminaria sunt, sed etiam ibi preparantur ingenia ad omnem reliquam  
 vitæ gubernationem, imò scholæ sunt fontes humanitatis in tota vita, qui-  
 bus neglectis necesse est sequi magnas tenebras, confusiones religionum, &  
 superstitiones, legum, literarum, atq; artium interitum, oblivionem anti-  
 quitatis & historiarum, morum feritatem, deniq; infinitam barbariem.*  
 Hæc Germaniæ nostræ Phœnix. Postremò, ut extremum etiam aliquid  
 mea habeat compellatio, in hac vitarum sylvula occurrent nonnulli  
 Theologi; qui in Silesiâ & in vestris etiam ditionibus nati, rem Christi aut  
 in patriâ, aut extra eam egregiè gesserunt, patriæque suâ virtute orna-  
 mento sunt sempiterno. Solet autem magnorum & eruditorum viro-  
 rum laus etiam ad principem redundare, sub quo eorum aliquis vel vixit,  
 vel è cujus territorio originem duxit. Accipite ergo, principes clemen-  
 tissimi, & sereno vultu accipite hoc quicquid est chartacei, ad Vestra  
 pulvinaria cum submissâ animi devotione depositi, & istas Christi fervo-  
 rum, ecclesiæque antistitum vitas, vestro patrocínio, sicubi opus, cle-  
 menter

## DEDICATORIA.

menter complectimini, meique in patriam affectus quaecunque monumentam suffragio maximo probate. Ita DEUS aeternus Pater Domini nostri JESU Christi, Vestras Celsitudines, & totam Illustrissimam domum florentes aeternum conservet, & tempestates publicarum cladum, quæ omni ex parte impendere suavissimæ patriæ videntur, clementer depellat, suamque ecclesiam, ipsum in omni aeternitate celebraturam, his in terris tueatur & potenter adserat! Data Calend. Augusti, Anno cIo Ioc XIX.

*Vestrar. Celsitud.*

*subjectissimus*

MELCHIOR ADAMUS.

---

### Lectori benevolo S. P.

**E**X SOLVO tandem promissa mea, Lector benevole; fidemque ante annum non unum datam libero, dum heic uno in volumine tibi exhibeo vitas Theologorum clarissimorum, qui in Germaniâ nostrâ nati, ecclesiam CHRISTI strenuè propugnarunt, & voce scriptisque latè propugnarunt. Non ingrata erit, spero, bonis & piis mea hæc opella, ex animo divina gratiæ dilaudanda, & patriæ illustranda, sincerè cupido profecta. Colligendas putavi ejusmodi micæ, & in usum ecclesiæ patriæq; adservandas, quarum quedam dispersæ diversis in paginis librisve, imò & animis memoriâq; latebant, quedam excusæ quidem & in publicum productæ, sed nec tanto numero, ut in plures differri regiones possent; nec eâ orationis stylive formâ, quæ historiam decet. Dedi itaq; hoc communi patriæ, præclarorum, quod citra invidiam dixerim, ingeniorum matri, dedi excellenti virtuti, quam DEUS vult agnosci, cum de ipso sit testimonium, & nulla magna virtus sit, ut sententiosus Seneca ait, sine DEO, quam nolle agnoscere, ingratitude est, livor est & invidia, dedi deniq; piæ, si qua futura est, posteritati, quæ profecto & heic habebit non pauca ad patriæ decus, ad DEI gloriam, ad institutionem & correctionem facientia. Sed antequam te dimitto, quedam mihi monendus aut rogandus es, mi lector. Primum, ne præteritos aut omissos non paucos queraris, haud indignos, qui hoc in theatro appareant. In eo mea, mi lector, culpa nulla est, sed penuria fecit historie, quam nancisci nullam uspiam potui. Malui itaq; prorsus tacere de multis præstantibus viris, quam, ut ille de Carthagine, pauca dicere, &